Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 503
Quelle:
Copyright:

III. *fol.* 224. *Incipit liber lactancij de ira dei ad donatum.* Ita: *Animaduerti ſepe donate plurimos* &c. Diviſus eſt in XXIII. *Capitula*, quae tamen Editioni *ſuprac.* T. II. p. 127. non reſpondent. *Caput* 18. ab his verbis edit. p. 167. *Miſerum te, inquit — Sed quantum potuerunt graviſſime* &c. hiat, omiſſorumque loco irrepſit, ut cenſeo, e margine: *De facto iſtius archite quod hic tangitur Valerius libro quarto fere in fine libri dicit Valerius quod cum longo tempore cauſa ſcientie acquirende abfuiſſet et reuerſus in patriam rura corrupta et perdita negligentia ſerui comperiſſet dixit ſeruo ſumpſiſſem inquit de te ſupplicium niſi iratus eſſem maluit enim inpunitum dimittere quam propter iram iuſto grauius punire.* Quod utique non *Lactantii*, ſed cujusdam Commentatoris eſt. Paullo poſt minor hiatus eſt inter verba: *ut nequam ſeruus iratum — dum iis quos odio habent* &c. Sub Libri finem Verſus Graeci, quos adfert Autor, corrupte literis latinis columnatim exarati ſunt reſpondente ex adverſo traductione latina.

IV. *fol.* 236. *Incipit liber firmiani qui eciam lactancij de opificio dei uel formacione hominis.* Pariter in *Capitula* XVI. diſtributus, et integer; incipit enim: *Quam minime ſum quietus* &c. et finit: *ad iter celeſte direxerit*, ut Edit. *cit.* T. II. p. 71. nec lacunis laborat.

V. *fol.* 247. p. 2. *Sequitur Grecum diuerſorum autorum in premiſſis libris inſtitutionum diuinarum voluntate* (ignorantia?) *ſcriptoris obmiſſum cum ſuis interpretationibus.* Haec et ſequentia ad *Lactantium* Παρεργα induſtriae *Haſelbachii* debentur, cujus manus adlatum Titulum inſcripſit. Una igitur columna Voces graecae ſingulae literis majuſculis graecis depictae ſunt, altera ſignificationes latinae adjiciuntur. Multa in his mendoſa, et frequenter Librarium characteres graecos pingere piguit; latinis potius uſus eſt.

VI. *fol.* 260. *Codicem* terminat Index alphabeticus Rerum in *Libris Inſtitutionum divinar.* contentarum, quem ſatis gnaviter factum iterum *Haſelbachii* manus inſcripſit: *Tabula Lactantij.* Pertinet a v. *Ablutio* ad v. *Zenon.*

Fronti Codicis, neſcio cur, ſolertiſſimus *Seb. Tengnagelius* noſter olim Alphabetum, Orationem Dom. Salutationem Angel. et Canticum *Magnificat* graece adſcripſit.

CCLXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 64. f. eleganter exaratus, auroque et coloribus illuſtratus exhibet *L. Caecil. Firm. Lactantii Librum de Ira Dei*, qui hic *Octavus* dicitur, nempe, ſi illum VII. *Libris Divin. Inſtitutionum* accenſeas. Praeit Index *Capp.* XXV. ſed per decurſum non niſi XXIV. numerantur *Capite ult.* in duo diviſo, ut plures Codices habent. Textus, ut jam ſaepius utroque *Vol.* dixi, incipit: *Animaduerti ſaepe Donate plurimos id exiſtimare* &c. mendis non caret, R. 397

Cap.